

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicæ Selectæ**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCCLV.**

**VD18 90538943**

CXVII. Dissertatio Chirurgica, De Fistula Ani Feliciter Curanda.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16605**

C X V I I

D I S S E R T A T I O  
C H I R U R G I C A.

D E  
F I S T U L A A N I  
FELICITER CURANDA.

*Quam Praefide*

FRIDERICO HOFFMANNO;

*Tuebatur*

H E N R I C U S B A S S ,

B R E M A - S A X O .

Halæ mense Julii anno 1717.



CXVII

DIGESTA TATIO

CHIRURGICA

DE

LITERATURA ANI

ERGICITIA CIVILIA NDV

HEDERICUS HEDVINDUS

ERGICITIA CIVILIA NDV

ERGICITIA CIVILIA NDV

ERGICITIA CIVILIA NDV



## §. I.

**D**omi fistulæ ani curationem pertractare mihi constitutum est, ante omnia genuinam ejus naturam ac indolem indagare oportet. Est autem ani fistula ( ut a definitione exordiar) ulcus inveteratum, sinuosum, ichorosam materiam fundens, callo undiquaque obductum, intestinum rectum & conterminas partes obsidens. Gallis vocatur *une fistule sur les fesses ou sur le cul*, Germanice *Steis-Fistel*, *Fistel am Hintern*, oder *Majtdarm-Fistel*.

## §. II.

Ulcus inveteratum dicitur ex eo, quod materiam quandam ichorosam, tenuem, acrem, corruptam ex vasculorum minimorum sanguiferorum ac lymphaticorum, nec non fibrarum, foedam ac putridam continui solutionem passarum, erosione effundat: Hinc differt ab apostemate, ubi quidem ingens cavitas materiam bonæ notæ ac naturæ præ se ferentem complectens, deprehenditur. Pus enim, quod effluit, crassioris consistentiæ & albicantis coloris est, ex fistula vero acris, ferosa & ichorosa materia promanat. Neque cuniculis seu sinibus apostemata gaudent, neque cavitas ampla vel callo obducta est. Contrarium vero in fistula animadvertisit. Ab ulcere quoque distinguitur in eo, quod, etiamsi conveniat in materia excreta, hæc tamen gaudeat sinibus callositatibus obfessis, quibus ulcus carere solet.

## §. III.

Nomen obtinet hæc fistula a partibus, quibus infensa est; occupat enim non tantum ani partes externas conspicuas, musculos glutæos, sphincterem intestini recti partesque adstitas, sed & profundius proserpendo ipsum intestinum rectum aggreditur, hocque vel perforat, vel ejus membranas perreptat summa satis molestia & quodam dolore conjuncto, cum non solum fordida linteamina occultare, sed & toto vitæ curriculo molestiam tolerare debeant ægrotantes, nisi in tempore curatio ejus acceleretur.

## §. IV.

Sunt ani partes fistulis magis, quam aliæ corporis partes subjectæ, hanc maximam ob rationem, quia intestinum rectum nil nisi cloaca & sentina est fœtidorum crassorum excrementorum, ex toto corpore illuc ablegatorum, quæ fœtore putredinoso, si levis saltim detur ansa, nempe hæmorrhoidum tam fluentium, quam cœcarum perversa tractatio, hanc in scenam produ-

Tom. IV.

N n n cendi



cendi viam pandit facillimam, communicando putridam pastam, miasmate suo celerrime intestinum anique partes destruente, fistulamque celerrime introducente.

## §. V.

Hinc respectu ipsius existentiae, fistula ani frequens malum est, licet partim ex morositate ægroti, partim ex vano pudore subticeatur; frequenter tamen in locis calidis, quam frigidis, iisque, quibus sanguinis salutaris per haemorrhoides excretio obtingit: sic notante *Marchettis*, Italis magis familiaris, quam reliquis, postea Galliæ, Hispaniæ, Germaniæque &c. incolis. Neque minus iis frequenter infesta est, qui illecebris intemperatibus venereis indulgent, dum fructus circa ani partes & pudenda dulces, condylomata, mariscos, verrucas Gallicas, ficus puto, brabei loco reportant, si minus decenter tractentur.

## §. V I.

Originem ac causas hujus fistulæ nunc indagaturi, operæ pretium duimus, ut verus formetur de ea conceptus, levem quandam adumbrationem anatomicam earum partium, quæ hoc malo infestantur, præsertim intestini recti, cui maxime infensum est, præmittere, ut melius intelligentur ea, quæ postea dicenda sunt. Rectum itaque intestinum, ultimum ex ordine crassorum, est canalis membranaceus continuatus cum colo intestino a flexura ejus sigmoidea exortus, in anum desinens, ad fœces seu alvina excrements recipienda eademque pro necessitate excludenda destinatus. Dicitur hoc intestinum rectum, quia recta via a præfata flexura excurrit, & ad anum tendit. Longitudinem pedis adæquat, latitudo ejus est trium ferme digitorum transversorum. Situm habet in cavitate pelvis, incumbitque ossi sacro & coccygi. Adhaeret hoc intestinum firmiter in viris collo vesicæ urinariæ, in foeminis, utra, ita ut difficillime separetur. Substantia ejus externa copiosa gaudet pinguedine, unde pingue intestinum, *le boiu gras* Gallis dici consuevit. Tunicis constat quatuor, quarum prima & extima dicitur membranacea, alias communis, quæ originem a mesocolo nanciscitur & involucri loco inservit. Altera muscularis audit, in duas lamellas divisibilis, quarum superior fibris constat longitudinalibus, seu secundum lineam rectam excurrentibus, inferior priori proxime substrata ex circularibus seu potius spiralibus conflata est, quæ prioris tunicae fibras ad rectos angulos intersecant. Uterque fibrarum concursus reciproce agendo motum peristalticum, in dilatatione & constrictione consistentem, efficit, quo mediante excrements, re exigente, expelluntur. Tertia, ab exteriori computanda, nervea dicitur, sensu exquisito instructa; haec non est cellulosa, ne excrements retardentur, & sanguiferorum vasorum capillarium ramulos recipit



cipit ac insertos obtinet. Quarta & ultima glandulosa vocatur, aliquibus crusta villosa, estque nil aliud, quam muscosa quedam substantia acinos glandulosos habens interspersos, inserviens partim secretioni lymphæ pro commodiori contentorum expulsione partim defensioni tunicæ nerveæ, ne ab excrementis acribus lœdatur. Omnes hæ tunicæ velamentum reliquorum intestinorum crassius constituent. Pars intestini recti ultima anum constituit, qui gaudet tribus muscularis, duobus levatoribus & uno constrictore, qui sphincteris nomine venit. Levatores originem habent a lateralî & inferiore ossis ischii parte, inserunturque lateraliter ani sphincteri. Hi, facta excrementorum rejectione, anum sursum retrahunt. Sphincter vero ani exoritur ex muscosa tunica stratis fibrosis crassioribus annularibus donata. Figuram habet annularem seu circularem, latitudo ejus duos digitos transversos exæquat. Annexus hæret variis partibus, nempe ossis sacri & coxendicu[m] ligamento, vesicæ in viris, in foeminis collo uteri, ossi coccygis. Inservit hic musculus excretioni fecum alvinarum, anum enim voluntarie dilatat, eundemque, facta alvi depositione, iterum constringit & occludit. Vasa sanguifera, quæ intestino recto impenduntur, quod attinet, ea duplices generis sunt, vel arteriosa, vel venosa, ambo haemorrhoidalia dicta; priora partim a mesaraica inferiore, partim ab iliacis pronascuntur, sanguinemque tam pro nutritione & sequestratione seru tunicæ quartæ, quam pro salutari per haemorrhoides expulsioni, adducunt; hæc vasa externa, illa interna haemorrhoidalia vocantur. Similiter quoque haemorrhoidalis alia vel interna vel externa est; interna, rami splenici soboles, oritur a ramo splenico (qui est sinistri venæ portæ ante ingressum in hepar ramus) postquam venam splenicam formavit, tendit circa longitudinem per mesenterii membranas serpentino ductu ad intestinum rectum, cui in itinere varias ramifications communicat, sanguinem revehentes & ad ramum splenicum per eumque ad portæ venam amandantes. Nonnunquam etiam vena haemorrhoidalis interna oritur a dextro V. P. ramo, sed rarissime. Externa vero vena ab hypogastricis originem nascitur inseriturque partibus ani externis. Nervos obtinet intestinum rectum oriundos a plexu mesenterico infimo & medio, neque minus ab illis, qui ex osse sacro egrediuntur.

## §. VII.

Hicce prædictis, patica faltem, ad causas fistularum paulo penitus perspicendas, in medium proferre de haemorrhoidum fluxu haud inconsultum judicavi. Itaque, quod sanguinis per haemorrhoidalia vasa utilissimum ac solennem expulsionem attinet, ea sequenti ratione peragitur. Sanguis in partibus abdominis circa viscera copiosius collectus ac restituans, vasa nimis distendendo, premit plexum mesentericum renitentem,

N n n 2      qui



qui spasmodice strictus ac tensus reliquas membranas in consensum trahit, unde illis fortiter constrictis, vasa sanguifera angustantur, sanguisque impeditae, immoderate ac inæqualiter movetur. Cum vero arteriae ob majus robur, tantam strictroram non patientur, quam venæ, hinc major copia adducitur ad intestinum, quam per ramum splenicum revehitur. Congestus ergo ac forti nisu alluens sanguis per venam refluere nesciens ac naturæ molestus, salutari intentione per capillaria vascula arteriosa extruditur ac evacuat, ut machina nostra corruptibilis ab imminentibus morbis corruptionem minantibus vindicetur.

## §. VIII.

Salutare hoc naturæ negotium quod si non rite procedat, in segnioribus naturis, vel intempestive fluxus hæmorrhoidalis cohabeatur, aut frigore intercipiatur, evenit ut sanguis in extremitibus vasorum inter eorum valvulas subsistat, qui vasculum unum vel alterum distendens ac incarceratus tumores satis dolorificos inflammatorios procreat, ita, ut illis, quibus obtigerint, sellæ aut scamno insidere haud permittant, suntque hi nihil aliud, quam varices. Idem contingit cum hæmorrhoidibus externis, quæ cœcæ vocitantur, de quarum origine ac natura legatur Excell. Dom. Profess. Alberti, Patroni mei summe devenerandi, *Dissertatio de Hæmorrhoidibus Cœcis.*

## §. IX.

Thrombi hi seu tumores, si non cito discutiantur, vel applicatis hirudinibus sanguis extrahat, vel, quod melius, scarificatione grumosus factus aut incisione exturbetur ac eruatur, facilime in putredinem abit ac in pus convertitur, progeneraturque apostema, quod si scalpello incisorio non cito aperiatur, ac detersivis & traumaticis consolidetur, in ulcus degenerat, quod manifestatur insigni cavitate seu fuscculo ichorosam materiam effundente.

## §. X.

Ulcus hoc, ut proprius nunc ad fistulæ ani causas accedamus, si non debite tractetur, aut negligatur ejus curatio, fistulam ani producit, quæ fit, dum materia purulenta, ichorosa non satis commode effluit, eaque mora acris facta, partim gravitate, partim acredine discontinuando; diffringendo fibrillas partesque membranaceas ac vascula, sinus sibi efformat variae figuræ ac magnitudinis, ichorosam materiam effundentes, vel introrsum, vel extrorsum patulos, vel intimius inter intestini membranas proserpentes, qui ad partes adsitae successu temporis transeunt. Sinus hi quando formati sunt, fibræ discontinuatae ac erosæ crispantur, indurantur,



tur, & a crassiore materiæ parte secedentibus & effusis tenuioribus relicta oppillantur ac incrustantur, & hac ratione callositates proveniunt, qui callus undiquaque mæandros obtegens certissimum hujus fistulæ præbet signum. Fusius qui fistularum genesin scire desiderat, is evolvat *Diss. Excell. Dom. Præsidis, Præceptoris & Patroni mei aeternum venerandi, de fistularum compendioſa, tuta ac commoda curatione.* Ex cuniculis itaque callo obſeffis nunc promanat materia a feri & fanguinis ſecessione ac de-cubitu modo fluida, modo ſerosa, acris, ichorofa & graveolens, modo livida, nigricans, fuſca, albicans fætoriſque expers, prout nimirum ægri conſtitutio, diverſus fistulæ ſtatus, ratione durationis, aggressionis, ne-que minus error in diæta commiſſus requirunt.

## §. X I.

Cauſas fistularum ani itaque quod concernit, inter illas jure meritoque referenda venit ipsa ægrotantium moroſitas vanusque pudor, quippe iſtiusmodi ægri nec permittunt chirurgo aditum, multo minus operationem admittere volunt, ſed potius ani laſiones reticent atque occultant, metuentes, ne aliis ipſorum ſtatus innoteſcat. Qua ratione hæmorrhoides coecæ dum inflammatur ac in abſceſſum abeunt, ex illorum incuria, ne-gligentia, moroſitate, vanoque pudore ac neglecta cura, cogitantium nil metuendum eſſe, nilque mali inde reſultare poſſe, ani fistulis celeriter ge-nerandis, præbent occaſionem. Et quod dolendum, tam pertinaces & moroſi exiſtunt ægroti, ut etiamſi fistula ani infiſtentur, nihil oſcius ta-men curam averſentur, ſed potius hoc malum ſumma cum moleſtia fo-veant, ita ut totam vitam miſerrime tranſigere non recuſent. Sed poſtea quam ipſe Ludovicus XIV. Galliarum Rex huic operationi ſeſe ſubmiſit, nonnulli hoc exemplo excitati, vano pudore propulſo chirurgi opem cre-brius nunc, quam antea, admittunt, ut notat *Dionis in Operat. Chirurg. Demonſtr. IV.*

## §. X II.

Deinde etiam cauſam fistularum ani ſubministrat chirurgi negligentia, aut iſcītia, que verſatur in eo, quod tumores hæmorrhoidum tam in-ternarum, quam cæcarum inflammatiōis inque abſceſſum degenerantes haud cito aperiat, detersiſis ac consolidantibus rite tractet, vel plane im-perite ac perfunctorie earum curam gerat: hinc non aliter evenire po-teſt, quin abſceſſus, dum materia longo temporis intervallo detinetur, ac cu-niculos efformat, in fistulosum ulcus degeneret. Præterea quoque perversa tractandi metodo condylomata, marifcos, ficus & verrucas Gallicas, ani partes obſidentes fistulæ procreant; quod fit, ſi improviſo & intem-peſtivo ſepticorum & cauſticorum uſu tractentur, quippe que non tantum in-flammationes, indurations & eroſiones harum partium, verum etiam,

N n n 3

ſi



si temere negligantur, ulceræ, imo fistulas producere apta nata sunt. Imperitiam hanc & negligentiam chirurgi in tractandis partium ani lœsiōnibus acriter reprehendit *Musitanus in Trutin. Chirurg. Tom. I. p. 19.* dicens: *Qui nunc chirurgos se jactant, inducunt fistulas, non curant, semper enim chirurgi defectu fistulosis sunt similes, eoque devenit istorum ignorantia & impostura, ut cum ex artis errore, quam profitentur, abscessu & simili in fistulas abire permittant.* Sc.

## §. XIII.

Denique ex variis causis ani fistula progernerari potest ut a partu difficulti, quemadmodum *Tulp. Cap. XLI. Observat. Medic. Libr. IV.* refert, vel etiam a dysenteria obseruante *Marchettus in Tractat. de fistulis.* Frequens quoque irritatio cum penna facta, ad alvum promovendam, in causa esse potest, quale exemplum recenset *Aquapendens in Script. Chirurg.* Præterea variæ quoque causæ occasio[n]ales ad fistulæ ani genesis possumunt esse, ut equitatio, casus ab alto, ieiunus &c. quas omnes recensere supervacaneum effet.

## §. XIV.

Traditis causis ac origine fistularum ani, proximum nunc erit, earum existentiam ac præsentiam oculis subjecere. Colligitur autem fistula ani ex purulentæ & ichorofæ materiæ, per anum vel foramen ei vicinum, effusione, linteamina imbidente, conjuncta cum dolore, tumore, duritie & nonnunquam tenesmo. Aliquando per fistulæ foramen flatus, imo ipsa excrementsa ichorofa materia onusta prodeunt. Injectiones quoque ano immisæ extra fistulæ foramen aliquando egrediuntur; imo stylo, candela cerea, vel digitis manifestantur; vel si externas tantum fistulæ obsederint partes, in vîsus sensum incurruunt.

## §. XV.

Ordine nunc provolvimur ad fistularum ani differentiam. Authores ordinario eas distingunt in patentes & latentes, illæ foramine exterius conspicuo ichorofam fundente materiam sese manifestant, haec vero intrinsecus absconditæ latitant, oculisque haud conspicuæ sunt, & nisi materiæ ichorofæ excretio animadverteretur, de ejus existentia chirurgus haud certus esse posset. Præterea dividi quoque haec fistulæ solent in internas & externas, quarum priores intestinum rectum ejusque membranas perreptant, conterminaque partes, uterum, vesicam &c. pervagantur: posteriores vero ani sphincterem, musculos glutaeos pervadunt. Differunt quoque non minus ratione durationis, dum aliæ sunt recentes, aliæ vero inveteratae: haec duriore callo obsestæ sunt, & tenui pus e sinibus eructant, illæ



illæ vero molliore ac tenuiore callo præditæ, & materia, quam effundere solent, crassioris quodammodo consistentia animadvertisit. Vel potius fistulas ani differentes esse in eo judicamus, cum quædam intestinum rectum perforant, ejusque membranas perambulent, nullo extrinsecus foramine conspicuo; quædam vero internas partes infestent, & ad intestinum penetrant, illo tamen intacto relicto, hæ apertura gaudent exterius apparente. Non nullæ non tantum intestinum rectum perforant, sed & partes externas, ita ut extrinsecus & intrinsecus appareat exitus & apertura, dicunturque completæ, quum priores incompletæ vocentur. Tandem nonnullæ intestinum rectum conterminaque partes pluribus perreptant finibus, modo rectis, modo recurvis, modo obliquis, modo tortuosis, in notabilem alium cuniculum desinentibus.

## §. X V I.

Pro differentia itaque fistularum ani peniculati nunc trutinemus eorum signa, ex quibus dnoſcuntur. Fistulosum ulcus intestini recti substantiam tantum perforans, ejusque membranas pervagans, partibus externis relictis intactis, dnoſcitur ex ichorofæ materiæ per anum tam ante, quam post foecum alvinarum rejectionem, profusione, prout fundus fistulæ vel superius vel inferius latitat. Fundus fistulæ, quod si superius est, tunc excrementis leviter saltem induratis ichorofa acris materia ante feculentiarum secessionem transit ac expellitur, quippe excrementsa fundum fistulæ alluentia latera ejus ad invicem comprimendo, puris expulsionem proritant. Sin fistulæ fundus inferius, superius vero apertura, res contrario modo procedit, nempe ichorofa fistillicidium tunc sequitur excrementorum dejectionem; excrementsa enim dum præterlabuntur fistulæ foramen, illud occludunt, & materiæ exitum impediunt, fundum vero quo si tetigerint, comprimendo fanie ichorofa demum expulsionem concitant. Deprehendit quoque aliquando patiens pruritum & dolorem cum tenesmo sociatum, & digito si exploretur fistula, animadvertisit duries, inæqualitas, tumor cum dolore conjunctus; & si haud profunde satis lateat fistula, digitis aīo intrusis exploratur protuberantia & excrescentia quædam fungola, dolorifica. Fundus fistulæ si inferius hæreat, manifestatur aliquando tuberculo ad rubedinem vergente exterius, prope anum foramen conspicuo, præsertim eo tempore, cum fundus ichore repletus est, materia veta ichorofa effusa tumor evanescit. Sin intra intestini tunicas fistula proferpat, foramine exterius conspicuo gaudente, dnoſcitur exploratione candelæ cereæ, vel melius instrumento accommodato; si hoc intra membranas urgetur, lamella digitis immisſis & stylo interjecta. Intestinum vero si interius quoque apertura gaudeat, instrumentum adactum digitos proxime attingit, materiæque partim per anum foramen, partim quoque excrementsa per orificium fistulæ, ut & flatus prodeunt.

Neque



Neque si operator syringis ope infundat liquorem per ani foramen, is regurgitat, & per fistulæ oram apertam exstilat.

## §. X V I I.

Fistula vero sphincterem ani penetrans perforansque apparet, quando digiti apex ano constricto intrufus haud fortiter detinetur & comprimitur, sed in ampliore valdeque dilatibili cavitate recipitur. Quæ vero fistula multis sinibus seu cuniculis prædita est, vel quorum sinus in notabilem quandam cavitatem desinunt, explorantur commodissime candela cerea, vel styli quadantenus flexilis ope, manifestius vero, si unus vel alter sinus aperiatur, ut conspectui sese reliqui præbeant. Quantitas quoque magna ichorosæ materiæ excretæ non minus indicio esse potest, & teflari de sinuum multitudine. Sinus hi diversimode expatiantur modo recte, modo oblique, modo anteriora, modo posteriora versus excurrunt. Quidam intestinum rectum perforant simplici vel dupli ostio juncto, vel intra ejus tunicas satis crassas divagantur. Præterea nonnullæ fistulæ ani partes non tantum obsident, sed & conterminas infestant, nam multoties ad vesicam tendunt, eamque perforant, & sinus unus vel alter expatiantur ad vesicam, quod inde apparet, si urina per anum profiliat, & aliquando nonnihil ichoris & excrementorum cum urina erumpat. Non tantum ad vesicam fistula tendit, sed & in sexu sequiore ad uterus, in quo sexu foeces cum sanie ichorosa per uterus egrediuntur, quemadmodum *Musitanus in Trut. Chir. Tom. I. de Tumor. Cap. LXIII. pag. 282.* in duabus mulieribus observavit, similiterque eodem loco citato, flatus seu crepitus ventris & excrements per vesicam sinu fistuloſo pertusam prorupisse multoties annotavit. Quæ vero ad coxendicis ossa vel coccygis pertingunt difficultioris sunt cognitionis, nisi os carie infectum, quod ex ichore graveolento & nigricante effuso concluditur.

## §. X V I I I.

Postquam fusi pertractavimus fistularum ani differentiam earundemque signa manifestantia, e re nostra erit, operationi debite instituendæ brevibus præmittere prognosin, ut operator in curatione earum certus sit, ne, dum multum promittit, parum præstet, sanamque suam laedat. Fistula itaque ani, quæ simplici tantum ductu extrinsecus aperto gaudet ac sphincterem ani non aggreditur, curatu est facillima, præfertim si recentis fuerit. Ani quoque externas partes conterminas quæ obsidet fistula, simplici vel pluribus cuniculis haud profunde tendentibus gaudens ac recentis facile quoque sanationem recipit. Similiter quoque facilis curantur, quæ in ani foramen terminantur, ani sphinctere intacto: neque minus quæ sphincteris medium penetrarunt. Difficilius vero curatu ex, quæ inte-



intestinum rectum perforant, vel quarum apertura longe diffusa ab ani foramine, aut quæ per intestini membranas fatis densas vagantur. Difficilis quoque curationis metus in iis est, quibus gravia symptomata associata sunt, ut inflammatio, hæmorrhoidum fluxus, intensus dolor, tenesmus, & quæ callo duro gaudent; quæ licet operandi rationem ægre admittant eo tempore, cestantibus tamen symptomatibus curam, quamvis eam retardent, recipere possunt. Quæ vero fistulæ multis cuniculis & mæandris duro callo obsecisis scatent, ac partim sphincterem ani, partim intestinum rectum ejusque membranas perreptant, eæ difficillime operationem admittunt. Fistulæ vero modo simplici, modo variis sinibus præditæ, si vesicam, uterum, coxendicum & coccygis ossa occupant, omnem curationem ob denegatum accessum respidunt, omnisque labor hic irritus ac frustraneus est, quippe depascunt vires, & languores, tabem cordis, atrophiam, hecticam, imo sphacelum mortis cauam afferunt. Frustraneo quoque effectu curatio fistularum ani procedit, si ægrotus scorbuto, cachexia, vel lue venerea, (nisi prius curetur) laboret, vel senio consumptus & valde debilis existat.

## §. XIX.

Ordo nunc quidem jubet, ut operationem ani fistulam tractandi manualem expendamus, sed antequam ad eam nos accingamus, operæ pretium esse duximus, nonnulla prælibare, quæ ad operationem rite instituendam eamque feliciter peragendam necessario requiruntur. Antequam itaque chirurgus prudens eam administrare intendit, prius certus sit oportet de fistulæ conditione ejusque statu, quippe per aliquot ante operationem dies explorare debet fistulæ cavum, quod peragitur, si fistula apertura exterius conspicua gaudeat intrudendo instrumentum exploratorium, vel candelam ceream, vel si fistula exitum non habeat, sed tuberculum rubicundum prope ani foramen observetur, digitus in anum intrudendus est, ut tuberculum sub cute magis protuberet, quo facto incisio peragenda, posteaque ityli ope exploratio tentanda, ut hac ratione operator certus fiat de fistulæ natura, progressu ac qualitate, si optatum finem sperare velit.

## §. XX.

Operator jam de fistulæ ani natura certus factus, præterea antequam operationem molitur, respicere debet ad habitum patientis, num sanus corpore, vel prava corporis constitutione affectus sit; nam æger si senio confectus, debilis valdeque emaciatus, cachexia, scorbuto vel hydrope laboret, gravibus doloribus febrique prematur, operationem tentare non licet eaque frustranea censetur, sed facillime symptomata ingravescunt, panditurque via ad inflammationem imo sphacelum mortem accelerantem.

Tom. IV.

O o o

Sed



Sed potius tamdiu expectandum, donec dolor, febris morbique nec non symptomata funesta cesserint. Econtra vero si operator exoptatum scopum nancisci contendat, corpus patientis, quod operationi subjicitur, sanum, robustum, succis temperatis vegetatum, & gravibus symptomatibus minus obnoxium esse oportet. In lue venerea laborantibus & scorbuto infectis si operatio instituenda, eo allaborandum est, ut hi morbi prius propulsentur ac debellentur, postea enim operatio bono cum eventu suscipitur. Alias, si neglecta horum morborum curatione, sectionem instituat operator, æthiopem lavare contendit. Probe itaque respiciendum ad ægri naturam, si qua spes exoptatæ curationis affulgere debeat.

### §. X X I.

Præterea quoque chirurgum eo respicere oportet, ut ægroti corpus rite præparetur. Consistit autem hæc præparatio in eo, ut ægrotus diætam observet exactam vitando omnia indurata, falsa, acida, fermentescibilia, solida, multum excrementi suppeditantia, solidioris substantiæ, sed eu-pepta, fluida, ut juscula carnium, quæ alvum lubricam servant, suadenda. Si corpus valde plethoricum, V. S. quoque locum obtinet. Deinde ante operationem chirurgus applicare jubeat clysma, quo excrementsa removeantur intestinumque eluat, ne sub operatione excrementsa dum elabuntur, chirurgo molestia ac nausea procreetur, & operatio turbetur. Ad quem scopum obtainendum etiam collimant laxantia. Peropportunum quoque tempus ad operationem rite celebrandam eligere necesse est, qui-pe sereno die, horis antemeridianis, & aere temperato existente, ea instituenda, non vero hyeme, intensissimo gelu regnante, neque sub silio operatio tentanda, sed ad opportunum tempus differenda est.

### §. X X I I.

Operationem itaque hujus fistulæ quod concernit, ea triplici modo peragitur (1) ligatura (2) cauteris & (3) incisione. Quæ ligatura fit, ea jam veteribus cognita & usurpata fuit, & sequenti modo adornatur. Patiente ventre inflexo lecto incumbente, ministrorum duo femora ab invicem deducunt, eaque firmiter tenent, operator postea indicem sinistram manus digitum, si dextram, dextræ, si sinistram partem occupat fistula, oleo lilio, alb. vel amygd. dulc. inunctum intrudit, eumque ad rectum intestinum adigit; altera vero manu stylum vel acum flexilem lino crudo tenuissimo ad palmi longitudinem quintuplicato & pilo equino circumdato, vel filo ex pilis equinis complicatis contorto, vel serico facto armatam in fistulam dimittit, eamque pertundit si opus, postea acum extrahit, filo relictio, vel specillum, lino infixo remanente quadanterus in summa ejus parte inflexum, extremitates filorum extra anum pendulas adducit, easque



que ad nexus deligat, ita ut singulis diebus restrictio fiat. Hoc tamdiu continuandum, donec discissio fistulae facta fuerit. Quod si filum com-putruerit, antequam fistulae incisio facta, novum substituendum venit, eodem modo, ut ante dictum. Huic operationi commode instituendae in-servire potest acus flexilis, ex argento finissimo parata, sub Fig III. monstrata. Discisa jam fistula, callositates removendae sunt, & postea aliorum vulnerum more tractanda. Qui fusi de hac operandi veterum methodo legere desiderat, is adeat *Hippocr. Libr. de fistulis.* *Cels. de Medic. Libr. VII. Seçt. IV.* aliosque Authores.

## §. X X I I I.

Altera vero hanc fistulam sanandi methodus celebratur septicorum & corrosivorum applicatione: fit autem haec sequentem in modum. Aegro decenter collocato, divaricatisque cruribus, corrosivum medicamentum calloso fistulae ori turunda ex linteo carpto exceptum applicatur, postea vero alia turunda ex spongia compressa cera imbuta intruditur, quo dilatetur fistulae sinus, ut reliquæ callositates magis conspectui sese præbeant. Quod si jam ad fistulae fundum perventum, rosivum linteo carpto, vel plumaceolo admovendum, quo tamdiu continuandum, donec omnis callositas consumta, postea traumaticis & consolidantibus cura est absolvenda. Hic curandi modus, ut diutius duret, tamen ab ægrotantibus, ob vanum incisionis metum, creberrime expetitur, persuasis incisione gravissimos introduci dolores. Hac methodo feliciter ani fistulas curavit *le Moyne*, Chirurgus Parisiensis, notante *Dionis* in *Oper. Chirurg. De-monstr. IV.* Verum enim vero, si fistulae os interius lateat, ac sinus intra tunicas intestini recti absconditus hæreat, chirurgus corrosivum ap-plicare non potest, quod si vero hoc faciat, inde evenit, ut, dum cor-rosivum, firmiter detinere partesque adfisitas defendere nequit, diffluat, sanas vicinas partes aggrediatur, gravesque molestias creet. Adeoque haec operandi ratio tantum procedit in fistulis externis recentioribus, ad sphincterem ani tantum pertingentibus nullo, pacto autem fistulis int. si-num rectum perreptantibus, modo simplici modo pluribus finibus divarica-tis, sanandis quadrare potest.

## §. X X I V.

Restat nunc tertius ani fistulas curandi modus, reliquis longe præferen-dus, qui in earum incisione consistat. Instituitur autem ea commode, tuto ac faciliori negotio, præmissis præmittendis, sequenti encheiresi: Aegro in-clinato corpore sedili, scanno vel lecto imposito, diductisque probe cluni-bus a duobus robustis viris, si patiens valde obesus fuerit, operator duos di-gitos indicem cum medio sinistræ manus, si dextrum fistula occupet latus,



dextræ , si sinistrum infestet , oleo lilior. alb. vel olivar. madidos intrudit , altera vero manu instrumentum hoc valde accommodatum noviterque inventum sub Fig. I. notatum vagina reconditum recipit , & stylum argenteum flexilem , appensum fistulæ ori immittit , tamdiu continuando , donec ad fundum fistulæ sinus styli acies pervenerit . Hoc factò , styli aciem ad digitos vertit intrusos , eamque per illorum interstitium adigit , sicque fistulæ sinus pertundit , postea digitorum apicibus stylum recurvat , & arripit altera manu cultri aciem , postea manubrio absconditam detegit , cultrumque manubrio arreptum protrudit , & digitis extractionem styli molientibus succurrit . Stylium extractum sequitur cultri acies , qua cooperante utraque manu , uno ictu fistulosum ulcus discinditur . Apertione facta vulnus plumaceolis filo suspensis vel siccis vel spir. vin. rectificatis aut album ovor. imbutis replendum , postea empl. compressulis duplicatis apponendum . Tota deligatio absolviatur tandem fascia idonea sub fig. IV , delineata , quæ non tantum in fistularum ani operationibus , verum etiam in omnibus ani læsionibus apprime locum obtinet . Deligatione altero die soluta respicere debet operator ad callositates , quas removere intendit . Ung. ægypt. cum mercur. præc. rubr. probe mixto , vel Mell. chelidon. mercur. præc. rubr. remixto , si callus mollis existat , plumaceolis vel turundis excepto . Quodsi vero profunde lateat callus lavamentum *Rufingh.* descriptum in het nieuw gebouw der Heelkonst maritatum cum Ess. myrrh. Tinct. benzoës & Mell. chelidon. syringæ ope injectum mirabilem edit effectum , brevi temporis intervallo fistulam detergendo , callositatesque si non valde duræ extiterint , consumendo vulneris que consolidationem promovendo , ita ut major sit experientia verbis . Si variæ inæqualitates callosæ fistulis inexstiterint , nonnulli suadent forfice eas auferri debere . Probe tamen observandum , ne vas arteriosum discindatur , ac enormis sanguinis effusio concitetur : quod si ex improviso id contingat , ne enormis hæmorrhagia incompescibilis fere , propter vasa in fundo fistuloso sita , quæ constringi non possunt , neque comprimi , ægro vitæ periculum minetur , cito styptico idoneo ex Maſtich. Sang. Dracon. Bol. arm. pulv. consolid. maj. & gumm. tragacanth. vel arabic. alb. ov. subacto plumaceolis propiciendam , digitis vero ministrorum alternantium circa unum alterumve ossis latus fortis fiat compressio necesse est , probe innuente *Palfyn. in operat. Chirurg. p. 323.* Circa corrosiva adhuc monendum restat , quod aluminosa & vitriolacea , ut alum. ust. & æs viride non adhibenda sint , quia dolorem , imo inflammationem , dum nervosis & membranosis partibus sunt inimica , producent , neque septica vesperi sed mane applicanda sunt , vid. *Marchet. in Tract. de Fistul.* Demto ac remoto callo , vulnus consolidantibus tractandum , ut Ess. hyper. cum Balsamo Copayv. vel Tinct. benz. cum balsam. Peruv. maritatis , aut Bals. Arcæi immittendum . Tandem cicatrix Ung. de lithargyr. promovenda , non vero oleosis , pinguibus fibras relaxantibus , ut putat *Marchett. loc. citat.* Emplastrum pro deligatione haud præstantius inveniri potest , quam empl. *Rufingh.* vel *Benedict. Carol. Musitan.* descrip-

tum



tum Tom. I. *Trutin. Chirurg. de Tumor.* p. 216. Accidit nonnunquam, ut fistulæ orificium, callo duro & protuberante superficie inæqualis sit obfusum, quo in casu prius scarificatione opus est, postea vero callum afferentibus utendum. Solet quoque nonnunquam contingere, ut fistulæ facta incisione, ejusque prima deligatione sanguis non effluat, sed intra intestini cavum remaneat, notabili patientis detimento, quippe ex hac sanguinis retentione, nisi clystere eluatur, non tantum lipothymia, verum etiam ipsa mors suboritur, quale exemplum *Palfyn. Operat. Chirurg. Cap. XX. Parisis en l'Hôpital de la charité des hommes* se observasse autumat. Non minus quoque circa incisionem notari meretur, quod si fistulæ fundus altius excurrat, digito intruso perforatio fundi styli ope in totum fieri nequeat, hoc pacto enim stylus recurvari ac extrahi non potest, multominus fistulæ fundi incisio felici successu celebrari. Quod si vero incisio instituenda, ægrotum augurari oportet facta operatione, materiam ichorosam adhuc effluere, licet in minori quantitate, vitæ finem concomitantem, bene animadvertisse *Palfyn. loc. cit.*

## §. XX V.

Demonstrata methodo interna ani fistulas curandi, instrumento fig. I. notato adhuc subjungemus aliám circa fistulas externas occurrentem, licet eodem instrumento fieri possit, tamen eam quoque, quæ minori cum apparatu instituitur, insinuabimus. Fistula itaque ani, quæ externas tantum obfidet partes & in sphincterem terminatur, commode detegitur acu ex finissima luna parata, spithamæ longitudinis, quam fig. III. representat; operatio ita procedit. Chirurgus acum arreptam constanti tenet manu, eamque aperto fistulæ sinui intrudit, pertunditque fistulæ fundum, postea cuspidem recurrat, acumque per fistulam traducit ad ejus medium, extremitates acus committit, commissasque firmiter tenet una, altera vero manu recipit cultrum incisorium Gall. *un bistouri*; quo fistulæ partem ab extremitatibus acus compressam rescindit ita, ut portio acui adhaerescat. Quo facto plumaceolis vel siccis vel vitell. ovor. & pulv. styptic. imbutis vulnus replet, callositates septicis tollit, vulnusque balsamicis ad consolidationem perducit. Deligatio fiat compressula quadruplicata, appositio prius empl. *Rufingh.* & fascia figuram T referente, delineata fig. IV. Nonnunquam fistulæ orificium adeo angustum, ut stylum mediocris crassitie non admittat, quo in casu commode usus fuit *Palfyn. Cap. XX. Operat. Chirurg. p. 324.* filo ex cupro facto, simili illis, quibus mulieres in conficiendis tibialibus utuntur.

## §. XX VI.

Incisioni fistularum ani debite præstandæ non minus quoque inservit instrumentum *Mons. Belfieres* fig. II. notatum, cuius felicem successum ipse Ludovicus XIV. Galliarum Rex expertus est, sed hoc tamen stipatur incommodo,

O o o 3 modo,



modo, quod fistula, si altius penetraverit, ac orificio interius non gaudeat, ob globum appensum pertusio fieri non possit; neque acie cultri longius remota, propter collum oblongum incisio commode instituitur. Veruntamen in fistulis externis, & quæ ani sphincterem obsident, incidens usum ejus satis commodum non detrectarem. Similiter quoque statuendum de cultris incisoris, pro ani fistula excoigitatis, & delineatis ab Aquapendente, Sculteto, Meeskeren, qui pari ratione ad scopum rite prosequendum in multis non satisfaciunt, exceptis saltem fistulis externis, in quibus ad operandum facilior patet aditus. Verum enim vero reliquis omnibus instrumentis palmam præripit hoc Fig. I. delineatum, quo non tantum commode ac faciliori negotio fistulas ani externas incidimus, verum etiam internas, cujuscunque etiam fuerint generis, si modo operationem admittant, ad quarum accessum reliquis pertingere non licet, ut hinc dexterimus operator, si operationem feliciter exequi cupit, eo carere haud possit.

## §. X X V I I.

Antequam dissertationi nostræ colophonem imponamus, nonnulla de incisione sphincteris ani in medium proferemus. Diximus §. XXIV. fistulam interius latenter in totum rescindi, adeoque & sphincteri ani simile quid obtinere, necessario inde colligitur. Quæstio itaque nunc est inter Chirurgos magni momenti, num ani sphincter in totum discindi debeat? Quidam affirmant, quidam negant; omnes tamen ad experientiam provocant. Nos itaque judicamus, utrumque opiniones certo sensu veras esse, easque satis opportune posse conciliari. Nam negativam qui tuentur sententiam, operationem forsitan instituerunt in corporibus pravis succis scatentibus, scorbuticis, cachecticis, ubi ingens perditio portionis sphincteris in putredinem & corruptionem abeuntis pronata, quæ consumtio & oblatio notabilis musculi partis, partim incuria & morositate ægroti, neque minus mala diæta, partim Chirurgi negligentia etiam produci potest, unde postmodum portione notabili sublata, excrementsa præter voluntatem secedant necesse est. Affirmativam vero qui fovent sententiam, incisionem administrarunt in subjectis bonis & temperatis succis prædictis, diætam exactam observantibus, ubi nulla corruptio putrefactio, & notabilis postea secessio portionis musculi metuenda, sed cicatrix, si non adeo firma, producta functionem sphincteris conservat, secundat, multo minus vero lædit. Adeoque si quis depositionem excrementorum involuntariam effugere, bonumque effectum ex ani fistulæ incisione sperare velit, eum respicere quam maxime ad ægroti habitum oportebit.

## §. X X V I I I.

De felici successu operationis methodo §. XXVI. tradita unum vel alterum casum apponere potuissim; sed cum partim limitum dissertationis rationem habere debeam, partim iis prolatis arti haud major lux accendatur, cum novus



novus casus novam requirat in operando convenientem encheiresin, Chirurgique dexteritatem, ad singulas circumstantias, utut minimas, rite attendo; hinc merito iis recensendis non inhærebo. Qui vero exempla, ubi fistulæ ani curatæ fuerunt, sed alia methodo, legere cupit, is evolvat *Meeckren, Palfyn, Marchettis Tract. de fistulis.*

## §. XXXIX.

Coronidis loco pauca quædam superaddere placet de diæta, in & post cūram observanda. Facta itaque operatione, debita encheiresi administrata, circumspiciendum, ut durante curatione alvus servetur aperta, quod commode peragitur alimentis fluidis, ut jusculis carnium cum rad. cichor. & crem. tartar. vel magnes. alb. pilul. quoque polychrest. vel alio quodam clementi laxante succurrentum. Quod si alvus nimis fluida existat, vel diarrhoea corripatur patiens, sæpius de die deligatio renovanda, & diarrhoea convenientibus remediis tollenda est. Diæta quoque utatur bona, vitando omnia acida, acris, falsa, indurata, cruda, sed eupepta assutenda. Si huius venereæ suspicio adeat, eo allaborandum, ut præter fistularum curationem suscep tam interna, hostem hunc radicitus evelentia, ut decoct. lignor. pill. mercurial. & mercurialia, vel sudorem vel salivam moventia, fabjungantur, hac ratione major curationis spes quam externis affulget. Hæc itaque sunt, quæ de fistulæ ani debita curatione in medium proferre volui, non dubitans, quin ex tenuibus his studiis mei Chirurgici primitiis fructus aliquis ad ægrotantium salutem sit redundaturus.

## EXPLICATIO FIGURARUM.

## Fig. I.

*Ad vivum delineat cultrum incisorium noviter inventum.*

- a. Cultri acies incurvata. b. Stylus flexilis appensus, straminis crassioris latitudine, ex argento Parisino finissimo fabrefactus. c. Styli acies minus flexilis. d. Dorsum cultri recurvum ac undiquaque politum. e. Vagina.

## Fig. II.

*Exhibit ad vivum Cultrum Incisorium Dom. Bessieres,  
Chirurgi Parisiensis.*

- a. Acies cultri quadantenus incurvata. b. Dorsum ejus rotundum & politum. c. collum oblongum & rotundum, inferius latum, superius sensim



sim in mucronem abiens. d. Globulus parvus appensus pisi minoris magnitudinis. e. Manubrium.

Fig. I I I.

*Representat quoque ad vivum acum flexilem ex finissima luna paratam, straminis crassioris latitudinis.*

a. Pars ejus superior & latior. b. Foramen pro transitu fili ex serico vel pilis equinis linteo convolutis facti. c. Pars inferior in cuspidem definens.

Fig. IV.

*Monstrat Fasciam infar T. deligationi inservientem.*

aa. Duo capita superiora ventri imponenda, eaque bb. filis duobus per 4. foramina  $\alpha\alpha$ . trajectis committenda ac firmando. c. Pars fasciae media parti posteriori ventris applicanda trium digitorum latitudinis. d. Fasciae incisura ac divisio. ee. Duo capita inferiora inguina versus reflectenda, ac filis quatuor ffff. per duo foramina gg. trajectis firmanda.

QUESTIO



C X V I I I .

Q U Ä S T I O  
*M E D I C O - C H I R U R G I C A ,*

*Quam Praeside*

LUDOV. JOAN. LE THIEULLIER;

*Tuebatur*

OLIVARIUS BOUGOURD

*C O N S T A N T I E N S I S .*

Sub hac verborum serie

*An dubio Hepatis in abscessu , premittenda incidendi  
loci perforatio ?*

Parisiis die 30 Martii anno 1744.

*Tom. IV.*

P P P

